Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



in infimis cogitationibus gestat. si repente diuine
gratie inspiratione tangitur. hoc ante omnia intelli
git. quod cuncta que agit districta eterni iudicis
animaduersione puniantur. Auditio igitur uocis dei prius
in terrore fit. ut post uertatur in dulcedinem. quia
ante nos districti iudicii timore castigat. ut iam
castigatos superne gratie dulcedinis consolatione refi
ciat. Nam cum nos uiolenta rerum temporalium delectatio
possidet. et mentis nostre oculos in somno torporis pre
mit. si manu subita superni respectus excitamur.
diu clausos mox eosdem ad ueritatis lucem oculos
mentis aperimus. que egimus mala meminimus.
quam districtus iudex contra hec ueniat uidemus.
Versatur in mente quantus sit ille tanti iudicis ad
uentus. que tunc illa angelorum hominumque
frequentia. quanta uel contra reprobos exardentia
pugnent elementa. quam terribiliter eterna prodeat
de districti iudicis ore sententia. qua reprobis di
cet. discedite a me maledicti in ignem eternum. qui
paratus est diabolo et angelis eius. Eorumdem pe
na reproborum ante oculos uoluitur. et que sint gehen
ne tenebre cum graui amaritudinis obscuri
tate pensatur. Quia igitur superbum cor prius terrore concu
titur. ut concussum in amore solidetur. recte nunc dicitur.
Audiet auditionem in terrore uocis eius. Vbi et
bene subiungitur. Et sonum de ore illius procedentem.
Sonus de dei ore est uis timoris de superna
irruens aspiratione. quia cum nos de uenturis
dominus aspirando replet. procul dubio de male gestis
preteritis terret. Potest autem per os dei unigenitus
filius designari. qui sicut brachium eius dicitur quia
per eum cuncta operatur. Pater de quo propheta ait. et
brachium domini cui reuelatum est. de quo iohannes
dicit omnia per ipsum facta sunt. ita etiam os di
catur. Hinc est enim quod propheta ait. os enim domini lo
cutum est hec. per quem nobis loquitur. ac si oris
nomine patenter uerbum diceretur. sicut nos
quoque per uerbis linguam dicere solemus. ut cum grecam

uel latinam dicimus. latina uel greca uerba
monstremus. Os igitur domini non immerito ipsum acci
pimus. Unde ei sponsa in canticis canticorum dicit.
Osculetur me osculo oris sui. ac si dicat. Tangat
me dulcedine presentie unigeniti filii redempto
ris mei. Per sonum uero oris. potest eiusdem domini spiritus sanctus
designari. Unde et alias in eiusdem spiritus significa
tione scriptum est. Factus est repente de celo sonus.
tanquam aduenientis spiritus uehementis. Sonus igitur de
domini ore procedit. cum consubstantialis ei spiritus ad nos
per filium ueniens. surditatem nostre insensibilitatis
rumpit. sicut de eodem sono in circumscripto
atque incorporeo os domini loquitur dicens. De meo acci
piet. et annuntiabit uobis. Potest igitur et per terrorem
uocis uis formidinis. et per sonum oris dulcedo con
solationis intelligi. quia quos spiritus sanctus replet prius
eos de terrena actione terrificat. et postmodum spe
celestium consolatur. ut tanto post confidendo de premi
is gaudeant. quanto prius sola supplicia conspiciendo me
tuebant. Hinc est quod de unigeniti spiritu quasi de hoc
oris sono paulus dicit. Non enim accepistis spiritum ser
uitutis iterum in timore. sed accepistis spiritum adop
tionis filiorum. in quo clamamus abba pater. Hinc per semet
ipsam ueritas dicit. Accipite spiritum sanctum. Quorum remi
seritis peccata remittuntur eis. et quorum retinue
ritis retenta sunt. Ecce conuersorum terror uertitur in
potestatem. quia dum mala sua penitendo puniunt.
usque ad exercendum iudicium ascendunt. ut hoc
in deo posse accipiant. quod prius ipsi de deo metuebant.
Iudices quippe fiunt qui supernum iudicium perfecte ti
muerunt. et aliena iam incipiunt peccata dimit
tere. qui prius formidauerant ne retinerentur sua.
Sed quia hoc ipsum iudicium quod spiritaliter agitur modo a
carnalibus non uidetur. sunt nonnulli qui deum res hu
manas curare non estimant. et eas ferri fortuitis
motibus putant. contra quos recte subditur. Subter
omnes celos ipse considerat. et lumen illius super termi
nos terre. ac si aperte diceretur. Qui summa regit